

10

**DISSERTATIO**  
**INAUGURALIS**  
**MEDICO-PHARMACOLOGICA**  
**DE**  
**SULPHURE,**  
**QUAM**  
**CONSENSU ET AUCTORITATE**  
**MAGNIFICI DOMINI**  
**PRAESIDIS AC DIRECTORIS**  
**SPECTABILIS**  
**DOMINI DECANI**  
**NEC NON CLARISSIMORUM**  
**D. D. PROFESSORUM**  
**PRO**  
**DOCTORIS MEDICINAE LAUREA**  
**RITE OBTINENDA**  
**IN ALMA AC CELEBERRIMA**  
**REGIA LITTERARUM UNIVERS. HUNGARICA**  
**CONSCRIPSIT**  
**M. ROKOTNITZ.**

In theses adnexas disputabitur in Palatio Univ.  
majori die Martii 1835.

---


**PESTINI,**  
**TYPIS TRATTNER-KÁROLYIANIS.**

**Dem**  
**hochverehrten Herrn**  
**VEIT SINGER,**

widmet  
aus besonderer Hochachtung  
diese Blätter



*der Verfasser.*


  
**S**ulphur in natura copiosum occurrit nativum, et quidem duplex: terrestre et vulcanicum. Prioris magna copia invenitur in America, in monte sulphureo inter Quito et Cuença (2° 10, L. M.) in Croatia in Cottu Zagrabiensi, et aliis locis, ubi per strata gypsum, argillam aliasque terras permeat. Vulcanicum, flores exhibet sulphuris, omnes largiuntur regiones, in quibus montes ignivomi siti sunt, uti in regno Neapolitano, Islandia, Quadeloupe, in America etc. praecipitatur etiam forma pulveris in fontibus sulphureis fervidis. Purissimum sulphur nativum, S. virgineum nominatur.

Variis metallis est junctum, quibuscum Pyrites constituit, ferro duplici proportione unitur: prosulphuretum et persulphuretum facit. Occurrit cum cupro, hydrargiro, plumbo, arsenico, antimonio et aliis. Cum oxygenio quadruplex inquit connubium.

- a) Acidum sulphurosum 50, 144. S. 49, 856 oxyg.
- b) Acidum hyposulphurosum, 66. 80. S. 33, 20 oxyg.
- c) Acidum sulphuricum 40, 14. S. 59. 86. oxyg.

d) Acidum hyposulphuricum 44, 39, S. 55.  
41. oxyg.

Qua acidum basibus jungitur et salia constituit, uti calci, barytae, strontiano, natro, magnesiae, aluminae, Kali etc.

Hydrogenio copulatum format acidum hydrothionicum, parva quantitate in atmosphaera, et dein in aquis sulphureis invenitur.

E vegetabilibus sulphur continent Rumex patientiae, Cochlearia, Conium maculatum, Sinapis, Pastinaca, Assa foetida, legumina plura.

In regno animali invenitur in ovis, pilis, cornibus, bile, urina.

Quod in usum convertitur s., paratur e metallis, quibus junctum est, saepissime e pyrite ferri, seu bisulphureto ferro, hoc destillando in vasis magnis longis cylindricis partim ferreis, partim argillaceis, quae furnis fere horizontaliter sunt impacta. Ante vasorum aperturam locata sunt excipula semper frigide tenenda, in quae, sulphur, ad certum usque gradum calefactum volatilisatum transit. Sulphur exceptum denuo fusione liquatur, et in modulos ligneos madafactos infunditur, e quibus formam cylindraceam habet, quae in quaestu occurrit. Sulphur citrinum (Stangenschwefel) durante fusione pars S. per vasorum massam stillat et vocatur. S. guttans (Tropfschwefel.)

E bisulphureto ferro una tantum sulphuris pars transit in excipula, remanet sulphuretum ferrum, istud iterum destillatur in propriis furnis, et largitur sulphur caballinum (Rossschwefel); quod decantatione in sulphur citrinum converti potest. Alia methodo obtinetur S.

quin lignum adhibeatur pro comburendo sulphureto: constructi sunt furni cum caminis horizontalibus, quorum pars furno vicina e tegulis, reliqua pars lignea; furno imponuntur pyrites stratatim, quae incenduntur: una S. pars forma vaporum abit, altera pars simul cum ferro (sulphuretum ferrum) incipit comburi et valatilisatum asseribus camini adponitur. Sic obtentum s. est impurum farinosum, ideo depurari debet.

Sulphur est coloris laete flavi proprii, crystallisatum semipellucidum; crystallisatur octoedris longis cum basibus rhomboidalibus, impurum gr. sp. 2, 35; purum 1, 98; in temperatura consveta friabile, si terratur odorem spargit proprium, longius super lingua servatum similem largitur saporem, tritura electricum fit, et per calorem repente adauctum dissilit. Electricitas in S. producta non abducitur, ideo tepore manuum particulae dissiliunt. Funditur 80° R. igne leniore, quam pro fusione 110° F. in vapores transit, qui non foetent, 83, 6° R. fluidum evadit, simulque diaphanum, refrigeratum colorem et impelluciditatem recuperat, si adhuc altiori exponatur temperaturae, tunc fuscum evadit, tenax et 132° R. fluiditate privatur. S. fusum lente refrigeratum crustam incipit formare; hac perforata obtinentur crystalli aciculares; gradu 239° R. bullit; et in flores s. convertitur. 284° R. cum atmosphaera accenditur et flamma coerulea ardet. Si S. diutius fundatur, vel repente altiori exponatur temperaturae, et tunc aquae frigidae immergatur, obtinetur massa fusca, pastacea, quae tantum lente rigiditatem et colorem recuperat, potest

nunc in varias redigi formas. Non solvitur aqua, parum alcohole et aethere, plus in oleis, solvitur lixivio caustico, petroleo, jungitur oxygenio, hydrogenio, ultimo tantum si metalla sulphureta in acido diluto solvantur, et metallum ex aqua oxydetur, tunc hydrogenium aquae se jungit cum sulphure et facit acidum hydrothionicum; alia ratione obtinetur, si Kali sulphuretum funditur, in aqua solvitur, flores sulphuris adduntur, et tunc acidum muriaticum dilutum adfunditur; Jungitur etiam carbanio, quam copulam detexit Lampadius, et vocavit: alcohol sulphuricum. Unitur metallis fere omnibus et sulphureta constituit; cum metallis se unit sub multipla proportione, et metallum duplo plus sulphuris summit, quam de oxygenio. Cum alcalibus sistit hepata sulphuris cum oleis balsama sulph: si in oleo pingui coquatur, oritur massa spissa coloris fusci, odoris inamoeni (hydrothionici) et vocatur: corpus pro balsam. Si huic massae si addatur oleum aromaticum, habetur balsam. S. aromat:

Sulphur semper inter simplicia corpora numerabatur, juxta mentem quorundam cel: virorum uti Davy, Gay-Lussac, Thenard et aliorum compositum esset principio proprio: sulphureo et hydrogenio. Cum ab aliis haec non detecta sint, et ab illis ipsis ipsa synthesis S. desideretur: qua elementum considerandum est.

In usum medicum adhibetur.

I. Sulphur depuratum, Flores S. loti.

Rp. Sulphuris venalis sublimati q. v. Itorata edulcoratione cum aqua destillata fervida ab adhaerente forte acido sulphureo perfecte liberatum siccetur et servetur; Constituit pulverem subtilem coloris dilute flavi et omnium re-

liquarum ipsius S. proprietatum. Criterium, quod nullum teneat acidum sulphurosum, est, si ultima aqua ablutionis chartam lacmus non ruffat, neque a solutione Barytae turbatur.

II. Sulphur praecipitatum. Lac sulphuris, Magisterium sulphuris.

Rp. Sulphatis sodae in sartagine ferrea perfecte siccati libras tres et semis. Carbonum in pulverem subtilem tritorum libram semis, bene mixta incandescant in crucibulo ferreo tecto per mediam horam. Massa in pulverem trita solvatur in s. q. aquae destit: fervidae. Solutioni filtratae instilletur acidum sulphuricum dilutum donec praecipitatio cessat. Praecipitatum defuso liquido perfecte edulcoratum et siccatum servetur.

### Theoria processus.

Si sal Glauberi cum carbonibus altiori temperatura exponitur, tunc tam acido sulph. quam natro oxygenium subtrahitur, quod se jungit cum carbonio, et partim qua gaz acidi carbonici, partim qua gaz oxidi carbonici avolat, remanet sulphuretum natrii, quod acidi sulphurosi nullum tenet vestigium. Sulphuretum natrii solvitur aqua et additur acidum sulphuricum dilutum, hoc maximum habet nisum se jungendi cum natro, sed quia natrium junctum est S., decomponitur aqua, oxygenium se unit cum natro et facit natrum, quocum acid. sulph. facit sulphatem Sodae, hydrogenium aquae se unit cum una parte sulphuris et facit acidum hydrothyonicum, quod avolat, et reliqua sulphuris pars praecipitatur.

Rite paratum est pulvis tenuis, coloris albi v. grisescenti flavi, igne tantum volatilis, aqua insolubilis, saporis et odoris expers, si fundatur parva quantitas acidi hydrothyonici liberatur; post refrigerationem iterum colorem flavum assumit, et in S. commune convertitur.

Juxta experimenta celeb. Berthollet sulphur praecipitatum habebatur pro S. cum hydrogenio, juxta Schrader, Bischof nihil de hydrogenio continet, sed est sulphur subtilissime divisum. Cel. Berzelius dicit, paucam tantum quantitatem acidi hydroth. continere, quod etiam fusione avolat. Geiger per experimenta demonstravit, quod sit copula sulphuris cum sulphureto carbonii (Lampadius sulphuretum alcohol) et inde dignoscitur, quod sulph. praecip. fusione in aqua sensim fervidiore hydrogenium sulphuretum et gas acidum carbonicum evolvatur.

Tam sulphur depuratum, quam praecipitatum variis substantiis coinquinatum esse potest. Maximum respectum meretur arsenicum, cujus praesentia sequenti ratione detegitur; sulphur investigandum coquitur in acido nitricomuriatico, solutio ad siccitatem evaporatur et solvitur in spiritu vini diluto, nunc liquidum dividitur in duas partes, quarum una ammonia neutralisatur et instillatur hydrog. sulphuratum, quo facto arsenicum sulphuratum praecipitatur colore flavo. In aliam solutionis portionem immittitur lamina Zinci nitens, tunc arsenicum illam obducit forma squammularum metallicarum, coloris cinereo nigri, et super carbonibus odorem aleacum spargens.



Ob pretium magnum S. praecipitatum adulteratur variis substantiis. Argillam tenet si ad praecipitationem loco acidi sulphur. solutio aluminis assumebatur. Color tunc est albissimus, sapor adstringens, aqua tractatum massa lubrica prodit, si igni exponitur remanentia manet.

Magnesium continet, si loco acidi sulphurici adhibebatur pro praecipitatione solutio salis amari. Nonnunquam magnesia consulto admiscetur, hanc adulterationem detegimus, si remanentia sulphuris igne tractati cum acido sulphurico facit salem amarum.

Calcem admixtam demonstrat color albus, pondus majus, et quod remanentia ignis ope obtenta in acido muriatico cum effervescentia solvatur.

Gypso inquinatum s. praecipitatum igne tractatum dat remanentiam nullo acido solubilem.

Quod cretam admixtam habet s. praecipitatum digitos albo tingit colore et ustum relinquit calcariam.

Cum amylo adulteratum digitis madentibus viscidum fit. Amyllum praeterea solvitur aqua fervida, et Tinctura Jodii colore coeruleo tingitur.

Terram silicium tenens, igne tractatum residuum dat asperum acidis insolubile.

Ferrum a vasis in quibus paratur non raro continet, igni expositum residuum relinquit, quod acido muriatico flavo tingitur colore, si ad hanc solutionem addatur lixiva ad saturationem usque tunc Kali hydrojodico coeruleo ac tinctura gallarum nigro tingitur colore.

## Virtus medica.

Potens sulphuris in organismum humanum actio vitam plasticam eminenter adficit, adque usum ejus longiorem mutationes reproductionis graves excipiunt; quae in diversis se manifestant systematibus et organis, in universim cohaesionem materiae organicae imminuit, secretiones excretiones omnes gasformes adauget, quin tamen plasticitatem ita infringeret ac antimonium et hydrargirum. Eminentissime efficaciam suam dirigit in systema dermaticum totum. Metamorphosim intimam cutis externae mutat, in cujus sequela absque humorum adfluxa notabili, calorisque animalis extricatione majori secretionem et perspirationem cutaneam intendit, inde diaphoretica illius virtus, probe distinguenda ab aliis diaphoreticis, alacrem tantum vasorum cutaneorum functionem inducentibus. Sulphureum odorem exhalans perspirabile cutaneum et cum hocce in contactum longiorem posita metalla, quae nigrum induunt colorem, cutis imprimis faciei color peculiaris imo et nonnullis casibus exanthema quoad indolem peculiare per S. usum mutatam cutis externae vitam luculentissime demonstrant.

Membranae mucosae tubi intestinalis sulphur actionem suam adhuc prius inprimit, secretiones initio moderate adauget, alvum laxiorem reddit, quae sulphureum statim spirat odorem, et longiori usu frequentior rarissime serosa evadit.

Respirationis organa investiens membrana mucosa ab illius usu vitae vegetativae meta-

morphosim ostendit, unde se-et excretiones non solum adauctas, sed ut exspiratus sulphureo odore inquinatus aer loquitur, mutatas aeque monstrat.

Quae ex inferiore tubi intestinalis parte et cavi pelveos imprimis organorum genitalium sexus sequioris revehunt sanguinem; venarum contractionem intendit, circulum impellit, functiones per stases perturbatas ad normam cogit, sanguinis venosi vitalitatem elevat, absque in arteriositatem conspicua virtute.

Systema lymphaticum, membranae serosae textus cellulosus actione S. multum participant, lymphae fluxus acceleratur, absorbtio, resorbtio materialiarum abnormium inertium promoventur; quin reactio nimia provocetur; Adficiuntur quidem etiam a S. arteriae sed longe minus quam olim statuebatur, et tantum in plethoricis orgasmus et congestiones inducuntur.

Exiguo tantum in gradu illius virtutem experiuntur systema venae portae, lien, et organa uropoetica.

In vitam sensiferam et irritabilem peculiari ratione non agit, et mutationes, quae sub S. usu hic observantur secundario solum modo oriuntur. Nonnulli tamen auctores nervorum quaedam incomoda a S. sublevata viderunt.

Possidet S. praeterea vim antiphlogisticam se manifestantem in inflammationibus in longum excurrentibus, in quibus status phlogisticus non sustinetur per exorbitantiam systematis arteriosi sed potius venosi, et in parte inflammata nullus nisus in coagulum, magis vero in expansionem observatur.

Convenit sulphuri virtus anticontagiosa et antidyscrasica summo in gradu, qua agit in omnes cutis externae, membranae mucosae et textus cellulosi morbos, qui ponuntur in statu abnormi harum partium reproductionis, quin vita plastica in profundis partibus adeo deprimatur. Simili ratione supra dicta virtus comprobatur in dyscrasiis a metallis inductis. Sulphuris usus requirit certum digestionis gradum, nam ubi hujus organa debilia aut irritata sunt, varia provocat incomoda, uti sensum pressionis in scrobiculo cordis, ingratum sensum in regione umbilicali, colicam, flatum, appetitum prostratum, nauseam, vomitiones. Porro usum sulphuris prohibent, Plethora, orgasmus, congestio activa imprimis ad pulmones, dispositio in liquationem aut haec ipsa. Optime convenit individuis phlegmaticis laxis, sed propterea illius usum non interdicunt aliae constitutiones individuales.

**Speciales morborum formae, quae S. usum exposcunt, sunt**

**I. Exanthemata chronica.**

a. Sulphur specifica fere ratione agit contra scabiem, et duplex est hujus usus, externus et internus. In scabie recenti simplici, quae octo vel quatuordecim dies durat, ubi individuum ceteroquin est sanum usus externus sufficit. Ubi morbus, longius excurrit, organismus huic anomali cutis activitati est adsvetus, usus internus praemittendus est. Si morbus valde inveteratus est, in vita plastica jam profundas habet

radices; dyscrasia scabiosa in humorum perversitate situatur, atonia in vasis glandulis lymphaticis adest, scabies cum alio statu morbozo complicata, qui illi peculiarem formam et extensionem magnam conciliat, individuum cachecticum debile, ibi sulphur insufficiens est ad morbum tollendum, et talibus remediis jungendum est, quae intime vitam plasticam adficiunt uti sunt mercurialia et antimonialia. Sub initio sulph. usu exanthema magis evolvitur, sed etiam decursum suum citius absolvit, dein autem exsiccatur.

In scabie retropulsa actio S. praestans, tunc inprimis si exanthema retropulsum in organa secermentia agit.

b. Quamvis minori in gradu, tamen comprobatur saepe illius virtus in impetiginibus superficialibus, in crusta lactea et serpiginosa, tinea capitis, plica polonica, Pemphigo etc. In omnibus his casibus longiori usu prodesse tantum potest.

II. In chronicis adfectionibus rheumaticis, ubi per statum abnormem longiore tempore durante dyscrasia rheumatica inducta est, ubi minor caloris gradus tam in toto corpore quam in cuti externa evolvitur. Absit autem illius usus in rheumate recente, vel ubi valde irradiatus est. Pro diversa individualitate diversum aliis remediis connubium ne ineundum, ut cum caulibus dulcamarae, aconito, Belladonna, Antimonio, Mercurio.

III. In adfectionibus arthriticis chronicis cum inertia actionis venarum cavi abdominis, mucositate, vel ubi metastaticae depositiones locum habent, ultimo in casu agit in quantum

organorum excretoriorum actionem intendit, maximum hic respectum meretur digestio.

IV. In scrophulis in quibus functiones perturbatae systematis cutanei adsunt, ulcera superficialia, Exanthemata, blenorhoea auris, ophthalmiae chronicae, sed etiam ubi glandulae lymphaticae tument, et alvi obstipationes observantur. Praestans hic est remedium in quantum humorum fluxum per vasa lymphatica adjuvat absque irritatione vasorum sanguiferorum, conjungi hic potest cum Aethiope martiali.

V. Saepe etiam in hydrope proficuum est, imprimis ubi per languorem cutis et textus cellulosi sustentatur; In hydrope post scarlatinam efficaciam ejus summam saepe expertus est Werlhof; Sic magnis dosibus sustulit hydropem post scabiem retropulsam (Hufelands Journal 4ter Band- S. 600.)

#### VI. In morbis pulmonum

a. In adfectionibus catarrhalibus chronicis membranae mucosae organorum respirationis, rancedine, asthmate, ubi sputa difficile solvuntur et magis serosa sunt. In (Grippe) Influenza hic vidimus optimum effectum in connubio cum Cicuta.

b. In Phthisi pulmonali incipiente absque statu plethorico et inflammatorio, in sic dicta Phthisi catarrhosa, vel per suppressionem exanthematum, haemorrhoidum orta, comendatur hic cum pulvere carbonum, sic hujus loci balsama sulphuris sunt.

c. In tussi convulsiva a nonnullis qua specificum commendatur, specificam virtutem hic quidem non possidet, sed ubi nulla adest inflammatio, vel hac jam sublata eximium praebet re-

medium jam solum jam cum Moscho, Belladonna, Ipecacuanha.

### VII. Ut Antiphlogisticum.

a. In anginae membranaceae stadio catarrhali, vel ubi chronicum habet decursum, et arteriositas sanguinis non adeo praevalet, nisus major adest in secretionem mucii et sanguis quasi stagnat, febris cessat. Non absimilem monstrat virtutem in simplici tracheitide sub iisdem circumstantiis, imo in ipsa pulmonum inflammatione, in qua membrana mucosa magis est affecta cum congestione hujus membranae, si characterem jam habet asthenicum, vel si e metastasi contagiosa vel dyscrasia originem habet.

b. Comendatur S. a Senf in Peritonæitide, in febris puerperali, sed hic sicuti in omnibus inflammationibus tunc tantum in usum vocandum, ubi jam inflammationis vis apparatu antiphlogistico generosiore et mercurialibus fracta est, in genere in tali statu uti supra adducitur. Magis proficuum est in hernia incarcerata non ex inflammatione, sed ex adaccumulatione venarum in parte incarcerata. Simili ratione prodest in Dissenteria catarrhali inflammatoria ubi febris remittit.

c. In Phlegmasiis cutis chronicis, uti Erysipelate absque febris remedium sistit magni momenti.

VIII. Remedium sistit comprobatum in haemorrhoidibus ita ut nulli alio locum cedat; maxime indicatum est in haemorrhoidibus coecis, a congestione venosa ortis, duplici hic titulo prodest, quatenus nimirum alvi evacuationes faciliat, et quatenus sanguinis in venis fluxum faciliorem reddit, simulque se et excretiones cutis expedit, sic etiam prodest in incipienti-

bus Haemorrh. Cautissimus vero sit illius usus in inflammatoriis et fluentibus, quia facile excedentes fiunt.

IX. In Amenorrhoea, et quidem suppressionis per refrigerium, simili agit ratione ac in haemorrhoidibus, iisdem circumstantiis porrigitur et easdem expostulat cautelas.

X. Comendatur a nonnullis in adfectionibus syphiliticis: Virtutem antisiphiliticam sulphur plane non possidet, et conubium cum hydrargiro non est concedendum, nam tantum actionem ultimi impedit.

Usus illius in morbo venereo tunc in applicationem trahendus, ubi salivationem excedentem imminuendi ad est indicatio. In Syphillide larvata, vel ubi exanthema syph. retropulsum est, ad S. usum recurrere possumus, quia exanthema iterum post assumptum S. comparere solet.

XI, Qua antidotum in toxicationibus metallicis. A nonnullis quidem commendatur in toxicationibus acutis eo e principio, quod conubium ineat cum omnibus fere metallis et talia connubia minus evadunt venenata, sed tali ratione nunquam prodest, nam in intestinis tantum se unit cum metallis qua S. hydrogenatum ergo prius in hoc converti deberet, sed conjunctiones chemicae in intestinis vi vitali praeditis haud locum habent, et si revera fierent, tamen multae manent venenatae, nam neque aqua S. hydrogenato mixta innocua est; multo minus talis dosis et concentratio, quae sufficeret desoxidare metallum. Agit certe S. contra venenum metallicum, sed dynamica ratione in organismo et ideo multo lentius, quam ut in casu toxicationis acutae adhiberi possit. Manet autem



S. in toxicationibus chronicis princeps omnium remediorum, sed actio illius uti jam dictum; est dynamica, plurimum efficit ubi metamorphosis per metalla abnormis in cuti se manifestat. Virtus sulphuris derivanda est ab actione universali, quam exerit in organismum, fors ab augmento se- et excretionum gasformium, per quas metallum e corpore eliminatur, pugnat pro hocce asserto, quod plurimum valeat contra metalla volatilisilia ut hydrargirum, antimonium.

XII. Praeservativum remedium praedicatur contra morbillos ex observatione, quod tempore epidemiae hujus morbi, infantes, qui S. contra tussim convulsivam vel scabiem sumebant, a morbo liberi manebant, haec sulphuris virtus recentissime iterum observata est.

XIII. Raris casibus adhibetur ut anthelminthicum contra Ascarides, sed etiam contra teniam cum fructu adhibebatur.

## Dosis et Forma.

### 1. Interne.

In usum medicum tantum adhibentur S. depuratum et S. praecipitatum et pro vario scopo dosis variat. S. depuratum mitius agit in secretiones intestinales, sed fortius in cutim et pulmones, usui interno optime respondet forma pulveris, sed adhiberi potest in pilullis, bolis, electuario, trochiscis. Si tantum in pulmones et cutim agere volumus, sufficiunt grana 2—4. 6. ter quaterve de die, ubi vero secretio intestinalis adaucta producenda sit, grana 10—20

ter quater de die. Rarissime est scopus evacuationes alvi profusas producendi, nisi qua anthelminticum, tunc unc. semis vesperi summi potest.

S. praecipitatum propter adhaerens sulph. hydrogenatum magis accedit ad hepata sulphuris, fortius agit quam flores sulph. magis in organismum penetrat, et secretiones intestinales facilius producit; adhibetur ubi profundius agendum est, Datur eadem forma ac flores, sed dosi aliquantum minori, et quidem in genere una quarta parte minus. Cum valde leve sit, forma mixturae adhiberi potest.

Frequentior adhuc est usus S. externus. Externe adhibitum primo agit in locum adplicationis, hic activitatem adauget, imo saepe inflammationem producit, sed actio non limitata manet, sed profunde penetrat, quod diarrhoea, et sudores usum ejus externum excipientes indicant.

Frequentissime adhibetur forma unguenti, et quidem cum axungia, quia tali ratione efficacissimum est, sed propterea etiam indicatio exactissima, cautus ejus usus sit, oportet, nam facillime Exanthema retro pellitur. Unguentum simplicissimum est, una pars florum S. cum 2. 3. 6. partibus exungiae porci, loco hujus etiam summi potest butirum insulsum vel olei amygdalini q. s. ut fiat unguentum. Inungitur vero post mundationem cutis ope aquae saponatae, locus adfectus bis de die et drachma 1—2 adhibentur pro singula inunctione. Post 6—8 inunctiones scabies simplex disparet, sed semper consultum manet inunctionem continuare per 8. usque 14 dies ne scabies revortatur. Ubi valde cauti esse debemus tantum unam partem scabiosam post aliam inungi curamus, vel tantum

volam manus, articulationem manus, internam faciem femorum, hoc in casu cura magis in longum excurrit. In scabie vero inveterata etiam cutis partes non adfectas inungi debent, simulque balnea saponata ordinanda.

Adhibentur etiam unguenta magis composita: Sic pharmacopaea austriaca parat unguentum ad scabiem. Rp, Sulphuris depurati sulphatis Zinci aa unciam unam et semis, Unguenti simplicis libram unam.

Celeber. Hufeland commendat ut in casibus inveteratis cuilibet unciae unguenti sulph. simplicis admisceatur drachma una Salis ammoniaci. Unguentum Jasseri constat anaticis quantitibus S. depurati, sulphatis Zinci, pulveris baccarum Juniperi cum s. q. olei Laurini expressi ad linimentum. Pharmacopaea Londinensis, sequens unguentum sulphuratum compositum habet.

Rp: Sulphuris sublimati, saponis mollis libram semis, Pulv. radice Veratri uncias duas, Nitri depurati drachmam unam, Adipis prae-paratae libram unam cum semis. M.

Ubi odorem S. qui semper post inunctiones evolvitur corrigere volumus, addantur olea aromatica. Huc pertinent unguent. sulphur. Pharmacop. edinb. quod constat una parte Sulphuris ad quatuor Axungiae, et cuilibet librae talis unguenti, additur drachma semis olei Citri aut Lavandulae. Bateman praescripsit hoc scopo et partim etiam ut unguentum S. qua tale non agnoscatur mixtionem Kali carbonici unc. Semis, aquae rosar. drachma una Olei de Bergamo drach semis, florum S. axungiae porci aa unc. novem. J. Frank comendat unguentum ex aaticis quantitibus S. et Saponis cum aliquot guttis Olei de Bergamo.

Dantur etiam aquae antipsoricae, quae in usum trahuntur, ubi cutis valde est irritabilis, et unguentum inflammationem erysipelatosam inducit. Talis aqua est a Richter (spec. Therap. Bd. 6. P. 168.) commendata, quae ex florum S. unciis tribus, salis ammoniaci uncia una aquae calcis libris quinque, coquuntur ad remanentiam libr. trium.

Balsama S. nunc rarius adhibentur, sunt duplicia nimirum simplicia et composita.

Balsamum S. simplex. Corpus pro bals. sulph. paratur, solvendo unciam unam S. in unciis quatuor vel quinque olei lini. Olim hoc balsamum interne exhibebatur a guttis 12—20. nunc tantum externe adhibetur in ulceribus torpidis, in tumoribus frigidis, tophis et sic porro.

Balsamum S. compositum exurgit mixtione simplicis cum aliis oleis pinguibus vel aromaticis. Tale est Balsamum vitae Roulandi solutio prioris cum oleo Terebinthinae. Oleum lini sulph. anisatum, cujus guttae 10 ter quater d. d. contra raucedinem adhibebantur.

Pertinent huc emplastra sulphurata, tale habet Pharmacopaea bor. et bav. Rp. Colophonii uncias 18. Liquatis et aliquantum refrig. imisce myrrh, Asphalt aa uncias 4. adde Ammoniaci Galbani, Sagapeni aa uncias quatuor in Terebint. commun. unc. 6 solutas, tum subigend. affund. olei lini sulphurati. Olei Terebint. uncias octo, sub fine imisce Camph. in olei Oliv. pauxillo solutae unciam unam et semis.

Fumigationes 1816. a Gallo Galés in usum medicum noviter introductae, in propria Machina peraguntur. Multum medici ab hacce methodo sibi promiserunt, sed juxta experi-

menta instituta multis molestiis est conjuncta  
lentius curat, nam post 20—30 fumigationes  
scabies evanescit, in organa respiratoria ini-  
mica agit ratione, in individuis cachecticis ad  
congestionem dispositis absque magno periculo  
adhiberi non potest: ideo merito derelicta.



**T h e s e s.**

---

1. Sulphur non est antidotum in toxicationibus acutis metallicis.
  2. Datur Systema fasciarum in corpore humano.
  3. Rhachitis differt a Scrophulis.
  4. Exanthemata cutanea non sunt morbi ad cutim tantum restricti.
  5. Lingua spurca non semper denotat adfectiones gastricas.
  6. Oxygenium succi gastrici destruit indolem contagiosam.
  7. Corrosiva concentrata non sunt dicenda venena.
  8. Animalia calidi sanguinis in statu sano nunquam parant venenum.
  9. Medicus sui ipsius pessimus medicus.
-